

tuam], fortitudinem et longanimitatem, constantiam i superabilem, fidem non factam, spem inconcus-  
sam, mentem devotam, humilitatem perfectam, in-  
telligentiam rectam, benignitatem, modestiam, una-  
nimatatem, pacem, concordiam, castitatem, absti-  
nentiam, vigiliam, discretionem, rectitudinem,  
scientiam, pietatem, consilium, et in cunctis actibus  
bonis inviolatam perseverantiam. Aufer, Domine  
Iesu Christe, ab eo quidquid pravum et distortum,  
et [al., est] quidquid saluti contrarium, quidquid  
anime noxiū [al., nocivum], superbiam, jactan-  
tiā, vanam gloriam, elationem, quidquid ad ulti-  
mum displicens esse potest. Circumda eum interius  
et exteriorū tuū protectionis auxilio, ut te defensore  
sit tutus, te protegente securus, te docente scīns.  
Ostende ei viam per quam ambulet, tribue ei the-  
sauros sapientiae ut 235 sciat et habeat unde nova  
et vetera proferat, fac eum in omnibus tua sequi  
vestimenta, et de sua ministratio gaudium bonum  
adipisci, ut post hujus sæculi excursum, cum ante  
tribunal tuū venerit, cum multiplici fructu anima-  
rum illud [al., add. ei] præmium etiam largiaris  
cum omnibus quos tibi representabit, quod fidelibus  
dispensatoribus tuis pro tuo nomine laborantibus in  
terris te promisiſt [al., reprobromisiſt] daturum esse  
in celis; qui cum Deo Patre, etc. Amen.

Tunc tradat ei regulam episcopus, legendo regulam,  
dicens :

Accipe regulam a sanctis Patribus nobis traditam  
al regendum et custodiendum gregem tibi a Deo cre-  
ditum, quantum ipse Deus constituerit, et hu-  
mana fragilitas permiserit.

Postea dei ei baculum, legendo, dicens :

Accipe baculum pastoralis officii quem præferas  
catervae tibi commissæ ad exemplum justæ severitatis  
et correctionis.

Deinde prosequatur missam, et dicatur Epistola ad  
Timothéum : « Omnis Scriptura divinitus inspirata, »  
etc. (II Tim. iii, 16.) Et Evangelium secundum  
Lucam : « Quis putas fidelis servus? » (Luc. xii, 42.)  
Crede in unum Deum Patrem. Offertorium; et tunc  
offerat abbas novus duos magnos panes, 236 duos  
potus vini [al., duo barilia vino plena], duas torchias  
cum pecunia in torchiis infixa usque ad devotionem

A novi abbatis pro oblatione. Oblatione facta remaneant  
novus abbas et assistentes in locis suis ante altare, et  
tunc dominus episcopus procedat in missa, et lavet  
manus suas dicendo : Lavabo inter innocentes, etc.  
Et tunc administratur una hostia vero abbate novo.  
Sequitur secreta.

Munera, quæsumus, Domine, suscipe placatus,  
et [al., add. hunc] electum famulū tuū semper [al.,  
add. ei] ubique misericorditer protege. Per Domi-  
num.

Et post fractionem fit benedictio ad populum, prout  
missa celebratur ad voluntatem celebrantis. Post  
Agnum Dei episcopus dat pacem novo abbati, et com-  
municat eum.

Communio : Unam petii a Domino, hanc requi-  
ram etc.

Postcommunio.

Oratio.

Hæc nos communio, Domine, purget a crimine, ac  
electum famulū tuū benigna pietate conservet.  
Per Dominum.

Missa rite peracta, antequam episcopus recessat ab  
altari, duo abbates assistentes abbati ordinato, unus  
ad dextram et alter ad sinistram, ducant ipsum ad  
majus altare ante conspectum episcopi, et ibidem faciat  
abbas ordinatus professionem suam super altare ad  
modum qui sequitur :

Sequitur profectio.

**237** Ego frater N. humilius abbas N. talis loci,  
Deo et sanctæ matris Ecclesie, N. et tibi, Pater N.  
tuisque successoribus debitam subjectionem et obe-  
dientiam a sanctis Patribus constitutam, secundum  
regulam sancti Benedicti, ore promitto et manu  
propria confirmo. Tunc faciat abbas cum penna et  
incausto [Gallice, encr] crucem in fine cedulae de  
manu sua propria; et postea ducatur in sede sua per  
archidiaconom dicentem : Sta, et tene locum a Deo  
tibi delegatum; potens est enim Deus ut augeat tibi  
gratiam. Statimque cantor incipiat : Te Deum lauda-  
mus. Quo finito dent ei omnes fratres osculum pacis,  
genua flententes ante patrem a Deo sibi constitu-  
tum.

## BENEDICTIO ABBATIS CANONICORUM.

Ex eodem Pontificali. ms.)

Electio abbatis canonicorum eodem ordine quo su-  
perius digesta est electio abbatis monachorum, et  
omnibus eodem ritu expletis, psalmis, litanis, et  
precibus, dicat super electum has benedictiones.

Oremus.

Oratio.

Adsto supplicationibus nostris, omnipotens Deus,  
et quod humilitatis nostre gerendum est ministerio  
tue 238 virtutis impleatur effectu. Per Domi-  
num.

Benedictio.

Benedic, Domine, hunc famulū tuū N. quem  
ad regimen animarum eligimus, ut sit ei fidelissima  
enra subditorum ad bona provocare, seipsam irre-  
prehensibilem custodiare, bona semper agere, prava  
vitare, studium in divinis habere. Illumina, Domine,  
cor ejus gratia Spiritus tui, cuius plenitudine re-  
pedit mundana despiciat, prospera contemnat, in  
adversis fortis et insuperabilis existat, odio habeat  
superbiam, diligat humanitatem, amplectatur chari-  
tatem, præ oculis semper habeat castitatem, dile-

ctioni Dei et proximi semper vacet [ms., vocetur],  
vitia reprehendat, contra superbos erexitur existat,  
errantes ad viam veritatis reducat, bonis se pareat  
faciat. Expande [ms., expandi] ei, Domine, thesa-  
rum sapientiae tuæ ut sciāt et intelligat, caterosque  
doceat verba sacre legis tue, ut Veteri et Novo  
Testamento instructus voluntatem tuam faciat, et in  
finem usque perficiat. Dominator Domine, a cuius  
munere venit omne quod bonum est, da ei potesta-  
tem ligandi atque solvendi subditos, et ita rem ec-  
clesiasticam moderari ut in nullo dissentiat a vero;  
sed ita ducat subditos ut cœlestis patriæ faciat colo-  
nos, ipseque 239 in finem a te mercatur audire :  
*Euge, serve bone et fidelis, quia supra pauca fuisti  
fidelis supra multa te constituam, intra in gaudium  
Domini tui (Matth. xxv, 21).* Quod ipse præstare  
digneris, qui vivis et regnas, Deus, per omnia sæcula  
sæculorum. Amen.

Hic tradat ei episcopus regulam canonicorum, et  
legendo, dicat : (47)

Accipe virgam pastoralem sollicitudinis, et sic vi-

(47) Hic aliquid desse videtur.

giles super gregem Dominicum tibi commissum, quatenus sicut fidelis servus et prudens merearis intrare in gaudium Domini tui.

*Post hæc legatur Epistola, et perficiatur missa usque ad offertorium; et tunc debet novus abbas accedere, et idem offerre duas torchias cum pecunia ad voluntatem ipsius in ipsis depicta, cum duobus magnis punibus, et duobus potis vini. Collecta vero, secreta,*

*A et postcommunio dicantur in missa, sicut dictum est superius in ordinatione abbatis monachorum, et in ipsa missa debet novus abbas communicare; cetera fiant, ut superius dictum est. Et antequam pontifex recedat ab altari, faciat novus abbas professionem eodem modo, et omnia alia, quo supra dictum est in ordinatione abbatis monachorum.*

## BENEDICTIO ABBATISSÆ.

*{Ex eodem Pontificali ms.*

**240** *In ordinatione abbatissæ debet pontifex missam celebrare, et eam benedicere cum duabus vel tribus abbatissis. Et antequam incipiatur missa vel introitus missæ, aliquæ moniales de abbata cuius est electa, ducant electam examinandam coram pontifice ponificalibus induito et casula, et debet sedere in loco examinationis dorso verso a. l. maius altare, et dicant tunc moniales antedictæ: Adest, reverende Pater, electa nostra ad benedictionem suam suscipiendo.*

*Interrogatio episcopi: Est electa secundum regulam sancti Benedicti a sororibus? Respondeant sorores: Canonica in eam sororum consensit electio.*

*Et interroget episcopus: Habetis inde scriptum? Respondeant sorores: Habemus.*

*Episcopus: Legatur.*

*Quo lecto, dicat episcopus: Quia ergo in eam sororum vota consentiunt, prius eam censemus, et cetera quæ sequuntur, prout superius digesta sunt in ordinatione abbatis monachorum. Et omnibus eodem rite expositis, psalmis, litanis, versiculis, dicat pontifex h. s benedictiones quæ sequuntur.*

*Oratio.*

**241** *Exaudi, Domine, preces nostras, et super hanc famulam tuam Spiritum tuæ benedictionis infunde, ut cœlesti munere ditata, et majestatis tuae dona [al., gratiam] possit acquirere et bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Christum.*

*Oremus.*

*Omnipotentiam tuam, Domine, humiliiter imploramus, ut super hanc famulam tuam, quam ad sacrum ordinem (id est, sacram benedictionem, seu ordinationem) assumere dignatus es, benedictionis tuae donum dignanter insendas, eique gratiam consecrationis tribuas, ut quod percipit te protegente illesum custodiat. Per Dominum nostrum Iesum Christum.*

*Per omnia secula seculorum. Amen. Dominus vobiscum. Et eum spiritu tuo. Sursum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et justum est.*

*Vere dignum et justum est, æquum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Adesto precibus nostris, adesto votis, adesto famulatibus, adesto consecrationibus, qui omnia per Verbum tuum mirabiliter dispensas et dispensanda ministras, qui diversis floribus **242** tuam semper exornas Ecclesiam, dum eam et virorum exemplis et illustrium seminarum iradias institutis, qui etiam de inferiori [al., infraiori] sexu hanc famulam tuam servitutis tuae applicare dignatus es famulatu; effunde super hanc famulam tuam, quam in officium divinum fideliiter dedicamus, gratiam Spiritus sancti, ut tibi omni tempore ejus servitus dignanter complaceat, eamque dextera potentiae tue bene + dicere et sancti + sicare dignoris in opus ministerii tui condignum, quatenus actum ministracionis sibi creditæ fideliiter exsequatur, et ejusdem sancti Spiritus septiformis gratiae virtute corroboretur. Requiescat ergo super eam,*

*precamur, Domine, spiritus sapientie et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus sapientie et pietatis, et replete eam spiritus timoris Domini. Concede ei quoque gravitate actuum, censuramque vivendi, ut in lege tua die ac nocte meditetur, mandata tua custodiat, dictis tuis obediatur, sacris lectinibus insistat, terrena et transitoria despiciat, atque omni tempore bonis operibus inserviat, omnem libidinem pravae voluptatis supereret, amorem honestæ castitatis teneat, ut tibi sponsio venienti cum lampadibus suis inextinguibilibus possit occurrere, et prudentum **243** virginum choro jungi; et ne cum stultis excludatur, regalem juvam cum sapientibus virginibus licenter introeat. Abundet in ea totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, intenta [al., innocentia] puritas, et spiritualis observantia disciplinæ. In moribus ejus precepta fulgeant, ut suæ castitatis exemplo cunctis sibi subjectis imitationem præbeat puram, et bonum conscientiæ testimoniū ostendens, in Christo Iesu firma et stabilitas perseveret, atque ita perceptum ministerium te auxiliante peragat, quatenus ad æternam remuneracionem te donante pervenire mereatur. Per Dominum nostrum, etc.*

*Tunc det ei regulam, et legendo dicat:*

*Accipe regulam sanctæ conversationis, simulque gratiam sanctæ benedictionis; et ut per hanc cum grege tibi credito in districti die iudicii Domino incontraminata representari valeas, ipse te adjuvare dignetur, qui vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.*

*Tunc det ei episcopus baculum, legendo dicens.*

*Accipe baculum pastoralitatis, quem præferas catervæ tibi commissæ ad exemplum justæ severitatis et correctionis.*

*Sequitur oratio, et dicatur a pontifice ad modum orationis:*

**244** *Domine Deus omnipotens, qui sororem Moysis Mariam præeuntem cum ceteris virginibus [al., mulieribus] inter æquoreas undas cum tympanis et choris letam ad litus maris venire fecisti, te suppliciter [supplices] deprecamur pro fideli famula tua, quia hodie in cathedra materna super universas subditas [universis sibi subditis] sibi abbatissa constituitur, ut ita canonica [monastica] norma tueretur cunctas famulas tuas [al., add. sibi commissas], quatenus ad æternam gloriam te auxiliare cum omnibus illis introepta leta, ibique exultans [al., exsultantes] cum angelis, canens [canentes] cantica nova, sequatur [al., sequantur] Agnus quocunque ierit. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

*Oratio.*

*Famulam tuam, quæsumus, Domine, tua semper gratia bene + dicat, et inculpabilem ad vitam perducat æternam. Per Christum.*

*Collecta missæ, secreta et postcommunio dicantur, et cetera omnia eodem ritu fiant, sicut ante dictum est in consecratione abbatis.*